



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 6. Regum miseria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

morem cadere. Ceterum, qui Dædali exemplo non admodum sublimia, neque excelsa appetunt, sed humilia terræq; vicina; adeò ut cera nonnumquam salis aspergine made scat, eos tutò plerumque ac citra discrimin transuolare. Aliorum naufragia fœdissima conspicit; nempe ubi Croesus reuulsis alis risum exhibet Persis, consenso rogo: aut Dionysius, cum abdicatus tyrannide, Corinthiorum in vrbe ludi litterarij magistrū agit, post gestum tantum imperium, puellos compellans, ut syllabas connectant.

## §. VI.

*Regum miseria.*

Addit his Pythagoricus Gallus se quoq; in exemplum. Nam ait se, cum rex esset, supra modum fuisse infelicem. Etsi enim externa specie planè fortunatus esse videtur, in animo tamen innumerabilibus curis fuisse districtum. Imperasse quidem regno magno, feraci, pulchro, populo so, quod neque fluminibus nauigabilibus, neque mari portuoso caruerit: habuisse exercitum ingentem, equitatum spectatissimum atq; excellentem, satellitum haud exiguum, triremes, pecuniarum vim maiorem, quam ut posset numerari, vasorum argenteorum ma-

Ec 3

gnam

gnam copiam, deniq; quidquid ad appar-  
tum illum tragœdiamque pertinet. Vnde  
cūm prodiret, plerosq; adorasse, Deum quā-  
piam se intueri ratos, aliosque trūdentes  
alios concurrisse, vt regem conspicerent.  
Nonnullos consensis tectis, magni faci-  
bant, si plenē contemplari licuisset quadri-  
gam, stragulū, diadema, tum anteam bulo-  
nes, & qui à tergo comitabantur. Talis fuit  
externa facies Pythagoræ, cūm rex esset.  
At intus & in cute, quid fuerit, audi ipsum  
loquentem. Ego inter hac mibi conscius, quan-  
ta me res discruciant, versarentq;, inquit:  
illos quidem propter inscitiam venia dignos ju-  
dicabam, at mei ipsius miserescebat, qui pre-  
grandibus illis Colossus viderer persimilis, qua-  
les vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fa-  
bricatus est. Etenim illorum quisque, quo adhuc  
qua foris apparent, Neptunus ipse est, aut Iu-  
piter mirifice decorus, auro eboreq; compactus:  
& aut fulmen, aut fulgor, aut tridentem fu-  
scinam dextra sustinet: ceterū si immisso capi-  
te, qua sunt intus, inspicias, videbis vectes quo-  
dam, paxillos, & clavos introrsum prominen-  
tes, neq; non vimina, cuncosq;, & picem subli-  
tam, & aliam item id genus deformitatem in-  
trinsecus inhabitantem. Omitto recensere mth-  
scatum

scarum mustelarumq<sub>3</sub> vim, qua nonnumquam  
in eis mansitant. Huiusmodi quadam res nimi-  
rum regnum quoque videtur. His recensitis,  
petijt sibi Micyllus explicari lutum, & cla-  
uos, & vectes, quinam fuerint in imperio, &  
alia quæ sunt intra Colossum. Mox igitur  
Pythagoras gallicus ita perrexit: *Quid pri-  
mo loco tibi referam, Micylle, utrum merus,*  
*curas mordacos, sufficiones, odium quo regem-*  
*persequuntur ij, qui cum illo viuunt, insidias,*  
*atque eas ob res somnū rarum, & hunc ipsum*  
*pertenuem, ac plena tumultus insomnia, cogita-*  
*tiones perplexas, spes semper improbas: an otī*  
*penuriam, & occupationes, judicia, expeditio-*  
*nes, edicta, fœdera, consultationes? quibus rebus*  
*fit, ut ne per somnium quidem aliqua re suani*  
*frui liceat; verū ut omnibus de rebus solus di-*  
*spiciat necesse est, milleg<sub>3</sub> negotia sustineat:*

*Quippe nec Atriden Agamemnona dulcie*  
*babebat.*

*Somnus, multigenas versantem pectore*  
*curas,*

*idq<sub>3</sub> cum reliqui omnes Achini flerent. Adde,*  
*quod Lydum illum diseruiat filius mutus: Per-*  
*sam verò Clearchus ad Cyrus desciscens: atq<sub>3</sub>*  
*alium quempiam Dion cum Syracusanis non-*  
*nullis ad aurem communicans. Rursum alium*

E e 3

quem-

quemdam vrit Parmenion collaudatus. Item Perdiccam Ptolemaeum: Ptolemaum Selenum. Quin illa quoque molestiam afferunt, si quid affectionem parare dicantur, aut duo quatuor satellites inter se se consusurrantes. Porro (qui est omnium grauisimum) amicissimi quibus maximè sunt formidandi, semperq; metuenda ne quid magni ab illis exoriatur. Nam alii filio veneno necatus est: alius item ab amico. Alium simile quoddam fortassis mortis genu eripuit.

## §. VII.

*Cur præster, esse pauperem?*

Ad hæc Micyllus, Atrocia miraq; sumista (inquietabat) quæ narras, o galle. Mihingtur multò sit tutius opera cordonice pronuncibere, quam ex aurea bibere phiala comiter delatum haustum, ceterum cicuta aconiti temperatus. Nam mihi quidem hoc unum periculi, ut si paulum aberret s'milior deflatusq; à recta incisione, summum secantis digitum exiguo sanguine tingat: at isti, quemadmodum narras, lethifera agunt convicia, atq; id innumerabilibus in malis constituti. Dinde, ubi conciderint, persimiles esse videntur magoediarum histronibus. Nam multi, sicut videre licet, Cecropes sunt scilicet, aut Sisyphi,